NVMMI MEMORIÆ DICATI,

CVSI POST CALICIS VSVM, IN Sacra Cœnâ, Ecclesiis Austriacis à Pontifice permissum, Anno Christi 1564.



Ridentino finito Concilio Pius IIII. Pontifex, Vintimiliensem Episcopum misit in Germaniam: ut concilij illius edicta promulgâret. Ferdinandus Cæsar, quò promptius ad obsequia Pontifici sese offerebat: hoc solicitus ab eodem petebat: primò ut Laici in Sacrosancta Synaxeos Cœna ad speciei utriusque usurpationem admitterentur. Deinde ut ratio iniretur, quâ non solum Sacerdotes, qui relicto cœlibatus voto, matrimonij leges subiissent, Ecclesiæ reconciliari possent: sed etiam benignè concederetur, ut iis in locis, in quibus Presbyteri, eo numero qui sufficiat, haberi non possunt, ab Episcopis Viri Laici justæ ætatis ac doctrinæ, vitæ simul inculpatæ, ac bonæ famæ, ad ministerium altaris & alia Sacerdotalia munia admittantur. Consentiente ad prius illud Pontifice, vehementer lætatus fuit Imperator pientissimus: & gratias Deo egit, quod id tandem impetrasset, quod multis votis & supplicibus literis Austriacæ regionis populi flagitarunt: ipse vero ad concilium Tridentinum: concilium ad Pontificem rejecerat. Judicavit enim beneficium amplissimum sibi tributum esse à Pontifice, cum tot precibus rogatus certis tamen conditionibus id tandem concessisset: quod Christus disertè & seriò singulis suis Christianis mandat. Posterius quod denegaverat Pontifex, urget, Ferdinando paulò post mortuo, Maximilia-